

Si enim coeperint, iam nequeunt retineri, sed in modum ignis, paenitentiae calore succensi, auro purgato purgatiores reddunt animas suas et memoria conscientiae suae velut spiritu quodam flante ad portum salutis, 40 spe gubernante, perveniunt. Itineris sui habentes cautelam maximam ex praeteritorum horrore gestorum, atque in hoc paene etiam eos qui nullos unquam incurrerunt lapsus videntur praecedere, dum cautiores eos reddit experientia. Acrius enim, nescio quo pacto, expetimus ea 45 quae parta perdidimus quam quae nondum possessa desideramus acquirere. Tantum est ergo, sicut dixi, ut initium fiat. In hoc omnis est difficultas ut primos aditus ingrediamur paenitentiae. In ipso enim ingressu stat inimicus minis ac terroribus spirans et volentes adire cum omni 50 atrocitate depellit. Cuius si taetros fumos et inanem nebulam contempnas, nec ille aliquid valebit ultra, et tu, occupato aditu, validiorem te redditum senties superioremque te effectum inimici terroribus gratulaberis ac perfacilem tibi de reliquo agonis istius viam videbis. Age ergo iam 55 adgrediamur iter vitae, revertamur ad civitatem caelestem, in qua et conscripti sumus et cives decreti. Huius nobis urbis ianuas desperatio quidem claudit, aperiet autem spes, et fiducia latum praebebit ingressum. Haec si contemnimus, non solum iam desidia culpam sed et 60 superbiae incurrimus. Nam et Diabolus non aliunde talis factus est nisi quia primo quidem post peccatum desperatione usus est. Postea vero ex desperatione in elationem incidit et superbiam. Sic ergo et anima, si semel salutem suam coeperit desperare, iam nec intellet quomodo vel 65 in quae mala praecipitetur. Nihil enim aut agere aut dicere